



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

Bipartitus, In Quo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -  
Quorum Catalogum versa pagina indicat

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1604**

8. Epistola Alcuini de Confessione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

FLACCI

ALCVINI

EPISTOLA

De

CONFESSIONE

*Peccatorum facienda.*


AD

PVEROS

S. MARTINI.

*Nunc primum in lucem data*

Ex manuscriptis membranis Monasterij  
S. Galli.



Ss

Ad

NJ SJJ  
2. 22  
S IV  
27



## Ad Lectorem.

**E**statur Baleus Hereticus Centuria  
 secunda Scriptorum Britannia, Al-  
 cuinum de Confessione auriculari li-  
 brum unum scripsisse. Idem ex Baleo alij. Qui  
 fortè hanc Epistolam intelligentes libri nomine  
 affecerunt. Ut ut sit, monumento hoc Lectorem  
 fraudare noluimus, praesertim cum eiusdem ar-  
 gumentum Epistola ad Scotos exstet inter episto-  
 las Alcuini, quas primo Antiquae lectionis to-  
 mo vulgauimus; Et inde eam Illustrissimus Ba-  
 ronius in appendicem decimi tomi Annalium  
 retulit. Atq; hinc sectarij huius aetatis discant,  
 commentum esse, quod ipsi de Confessione pecca-  
 torum sacerdotibus facienda, quasi de  
 nouitio inuento, petulanter  
 garrunt.

Episto-

EPISTOLA AL-  
CVINI AD PVEROS  
S. MARTINI DE CONFES-  
SIONE PECCATO-  
rum.

**D**ilectissimis in Christo filiis bonæq; spei adolefcētulis qui in Ecclesia summi pontificis protectorisq; magni beati Martini Domino IESV deseruire vidētur atq; ab Ecclesiasticis erudiuntur magistris in Domino DEO, ego Albinus bene cupiens salutis vestræ æternæ, prosperitatis in Christo Domino salutem.

Desiderans vos filij Charissimi in salutem animarum proficere vestrarum, ideo aliquas paterno affectu vobis admonitiones dulci sermone dirigere studui, vt per eas præsentis vitæ prosperitatem, & futuræ, DEO miserante, beatitudinem habere mereamini, & fragiles vestræ ætatis annos in DEI seruitio edocti ad perfectum senectutis diem adducere. Vos quoq; sancti patres lumina huius fraternæ congregationis doctores & ductores in omni bonitate iuuentutis deprecor, vt ammonentis eos, id est, discipulos vestros, vt studiosè discat, quæ DEO placent & ad salutem animarum pertinent suarum: quatenus ex illorum profectu & prosperitate vos perpetuam apud Dominum habeatis mercedem. Exhortamini illos sobriè, castè, pudicè, cum omni humilitate & obedientia DEO seruire in bonis moribus, & sancta conuersatione, & religiosa castitate, & maxime de cõfessione peccatorum suorum. quia multæ sunt contra adolefcēntulos Diabolicæ fraudis insidiæ in desiderio carnali & cæteris adolescentiæ vitis. Sed nihil DEO donante, proficit in sua Diobolus malitia, si puram volunt iuuenes facere confessionem, & fructus dignos pœnitentiæ agere, id est, vt vulneribus

Eccl. 17. 20 vulg. viā  
 iustitia. vulnera non superadiiciant, & lanata non reficiant. siquidem pe-  
 nitentia est remedium, penitenda iterum non perficere. Scriptum  
 est enim; penitentibus Deus dedit partem iustitiae. Age igitur pe-  
 nitens propria scelera confitere, pande per confessionem tuae iniqui-  
 tatis secretum. Nota sunt Deo, quae in occulto fecisti; quae si non di-  
 xerit lingua; non poterit celare conscientia. Frustra intra parietes tua-  
 rum aedificas crimina abscondi. Patet Deo omne, quod absconditum pu-  
 tas. & si hominis oculos in peccatis effugere valeas, nullatenus tamen  
 Dei ad spectum latere poterit, quidquid in occulto gesseris. Die per  
 confessionem peccata antequam iudicis iracundiam sentias. Crede  
 mihi, totum veniale erit, quod peccasti, si confiteri non erubescas: &  
 per penitentiam purgare\* curaberis, dicente Psalmographo: Dixi  
 adversum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem  
 peccati mei. *Expectat Dominus à nobis confessionis sacrificium,*  
*ut praestet nobis delectabile indulgentiae munus, qui vult omnes ho-*  
*mines salvos fieri & neminem perire: eo dicente & in alio scripturae*  
*loco: In quacunque die peccator conuersus fuerit, vita viuet, & non*  
*morietur. O singulare clementissimi iudicis beneficium. & magni-*  
*ficum diuinæ pietatis thesaurum. Propter hoc à peccantibus vult*  
*confessionis munus accipere, ut non inueniat, quod vlcisci debeat.*  
*Non simus ingrati tantæ benevolentiae redemptoris nostri: qui ma-*  
*gis vult ignoscere, quam punire; magis saluare, quam perdere. Ad-*  
*quiritur Domino, quod non punitur in seruo: & multum confertur*  
*auctori, si deputatus poenae veniae condonetur. Nec optat vlcisci,*  
*qui paratus est misereri: ipso de se per prophetam dicente: Nolo mor-*  
*tem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Ecce verus vitae auctor,*  
*qui non vult peccantis mortem, sed conuertentis vitam: vnde & in*  
*Euangelio ipsa ait veritas: sic erit gaudium in caelo coram Patre ve-*  
*stro & Angelis eius super vno peccatore penitentiam agente: & in*  
*Propheta; dic tu iniustitias tuas prior, ut iustificeris. Ecce benignus*  
*est largitor veniae, qui praebet pro lucro temporali aeternitatis gaudi-*  
*um ipso dicente: Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur:*  
*& alio loco: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &*  
*ego reficiam vos: ait enim ut diximus, dic tu prior iniustitias tuas, ut*  
*iustificeris, & non condemneris: ut maneat in te praemium peni-*  
*tentiae, non vindicta peccatorum. Nunquid quasi nescius Deus*  
*nos confiteri hortatur peccata, qui priusquam gesta essent, praescie-*  
*bat: cuius prouidentiae omnia patefcunt occulta? Tunc enim poteris*  
 per-

\* curabis.  
 Psal. 31. 5.  
 Dixi confi-  
 tebor ad-  
 versum me.

Ezech. 33.  
 11.  
 Ezech. 33.  
 15.

Ezech. 33.  
 11.

Luc. 15. 7.  
 Esai. 43. 26.  
 Narra si  
 quid ha-  
 bes, ut iu-  
 stificeris,  
 Matth. 5. 5.  
 Mat. 11. 28.

perfectum consequi beneficiū medicinæ, si nō celes medico tuæ vulnera conscientia. Opinor enim, nisi interpelletur Medicus, non curatur ægrotus. confessio tua medicina est vulnerum tuorum, & salutis tuæ certissimum subsidium. Homo ægrotus à medico quærīt medicinam; qui sæpe incerto \* laborare deludat in ægrotō. *f. labore;* Deus vero sine labore sanat: sine tarditate medicamenta veniæ præstat. *f. de-* nota lacrymis scripta in auribus pietatis sue \* legatur poenitentia. *f. legantur;* Nec alius sanat; nisi qui flagellat & curat. solus enim nouit operis fragilitatem, qui hoc tantum expectat, vt fatearis; mora non erit, vt saneris: qui per Prophetam Ezechielem ait: *Ezech. 33.* cui conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis. Darur uobis à benignissimo iudice locus accusandi nosmetipsos in peccatis nostris coram SACERDOTE Dei: ne iterum accuset nos in eis Diabolus coram iudice Christo: Vult vt ignoscantur, ne puniantur in futuro. Igitur pius Pater, dum videt per poenitentiam peccata nostra à nobis damnari, gaudet misereri, & proprium exercere munus misericordia: in poenitentes optat, sicut per Isaiam testatur prophetam: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas; & iterum: *E/sai. 43. 25.* conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors & *Ioel 2. 13.* pius est, patiens & multæ misericordia: Hoc sciens beatus Dauid ait: Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui: è contra si peccatum, quod fecerit homo \* negatur, poena reatus *P/sal. 31. 5.* accumulatur; quia punitur contumacia sceleris negatione. *\* legatur;* Sed dicis forsitan: Me terret meorum magnitudo peccatorum: quin immo tanto magis insistendum est tibi o peccator, in medicina confessionis, ne pereas in putredine vulnerum, si medico erubescis aperire multiplices vlcerum dolores. Nullatenus diuinæ abundantiam clementia: numerositas tuorum superare poterit peccatorum. *Ecclesi 5. 2.* Ne tardes de die in diem, dicit scriptura, conuerti, quia nescit quid superuentura pariat dies. quia qualem te vltimus inuenerit dies, talis iudicaris. Nec te voluit Deus diem illum præscire, vt semper paratus esses, qualem optas ante iudicem te stare, talem te præpara, dum habes tempus operandi. Esto negotiator deuotus. Eme tibi regnum Dei poenitentia: lucris, memor Domini dicentem: Poenitentiam agite. & adpropinquabit vobis regnum Dei. *Matth. 3. 2.* Prote igitur, o iuuenis, Deus homo factus est, vt te redimeret, & seipsum tradidit in mortem, vt te saluaret in vitam: quid tu iaces in morte scelerum? Surge & dic: *Luc. 18.* Pater peccati in cælum. adduc tibi tuæ poenitentia: testem fidelem: *Munda*

Munda vis habere vestimenta; quare non multo magis quæris mundam te habere animam? Sordidus procedere non vis in conspectu hominum; quare non multo magis times sordidum peccatis te procedere in conspectu Dei? Laua te lacrymarum fonte; nequid in te eius oculus maiestatis offendant. Quis rogo cadens non querit surgere? Quis incedens non desiderat conualescere? Quis periclitatur, & non optat euitare? Pœnitebit te postmodum tarditatis, si non cogitaueris quid animam tua proficiat ad salutem. Exsurge fili exsurge, placare Patrem pœnitentia, quem offendisti scelere. Confitere culpam, ut saneris à Medico. Esto in tua sollicitus salute. Si tu ipse tui ipsius non habes curam, quis tibi ad salutem prodesse poterit, vel quis tibi fidelis erit, si tu ipse tibi miser infidelis esse probaberis? Infidelitas est magna non curare de salute tua te moriente in peccatis, non resuscitare per pœnitentiam. Quanto longius recessisti pro scelorum magnitudine à Deo, tanto fortius per pœnitentiam appropinquare studeas. Clemens Pater paratus est te accipere, si tu non tardaueris reuertere. Aspera tibi videtur cōuersio, carnalia relinquere desideria; sed multo durior conditio æternis te ardere flammis, & pro modica temporis luxuria pœnis tradi perpetuis. Quanti modò infernalibus deputati tormentis cōuerti voluissent, si spaciū illis daretur cōuertendi! Omnia quidem huius seculi dura in comparatione tormentorum infernalium leuia & quodammodo iocunda videntur. Seruisti Diabolo in luxuria, \* seruire Christo in castitate, utriusq; rei finem attende. Illa siquidem \* idem luxuria hominem mittit in flammam. Castitas charitati cōiuncta nos deducit in regnum Dei. Reuertere in viam de qua aberrasti. Ieiuniis corpus afficitur, sed pulchritudo animæ paritur. Vilis sit corporis cultus; sed ipse præcipuus est sanctitatis ornatus. Vigiliarum assiduitas in orationibus & in laude Dei Angelicæ est imitatio vitæ. Parcus cibus, pastus est animæ. Si habes unde pauperibus porrige manum, quia manus pauperis gazophylacium est Christi. Nec de opere misericordiæ te iuste excusare poteris, dum calix aquæ frigida mercede remunerabitur perpetua: visitare infirmos, marentes consolari, hospitibus occurere, fame vel siti laborantes reficere, possessio est regni Dei in caelis: sicut in Euangelio legitur. *Matth. 25.* In talium, o fili, operum executione, peccatorum remissio adhibetur; in super & perpetuæ beatitudinis præstat ingressum. Noli degeneris animi esse. Dei filius in baptismo consecratus es: sed tam excellens nobilitas, non nisi morum dignitate conseruari poterit. Cœlestis Pater, im-

in omnium Dominus peccatis subditos dedignatur habere filios. Excute de collo tuo iugum captiuitatis Diabolicae. Recurre ad pietatem paternam dilectionis. Reuertere ad Dominum, fili, reuertere, & ex mortuo reuiuifce, & ex perdito reparare. Quirit ouem bonus pastor errantem, & amplius de inuenta, quam non perditam gratulatur, humeris suis inter Angelicos reuehit ceteris, animaduerte clementissimam Dominice pietatis sententiam dicentis: Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores in penitentiam. Vocat ergo Dominus ad Penitentiam peccatores, quia magis optat saluare, quam danare, & plus cum sanctis nos gaudere, quam cum Diabolo punire. Vocat nos per seipsum. Vocat per scripturas sanctas. Vocat etiam per doctores Catholicos, ut reuertamur ad eum, qui paratus est nos accipere, si nos non erimus pigri ad eum uenire. Audiamus beati Ioannem Euangelistam ad penitentiam nos exhortantem. Dicit enim in Epistola sua. Si dixerimus, quia peccata non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, ut nobis peccata nostra dimittat, & mudeat ab omni iniquitate. Si nullus est sine peccato, quis est qui penitentiam non indigeat? Quae sine confessione uix fructuosa fieri ualet. Consideremus beati Iacobi Apostoli preceptum dicentis. Confitemini alterutrum peccata uestra. Recordemur, quod redemptor noster publicanum peccatorem se confitentem Pharisaeo se in sua laudanti iustitia praetulerit. Scit enim conditor noster fragilitatem naturae nostrae. Ideo medicamenta penitentiae uulneribus nostris perdonauit. Dicamus cum Propheta: Sana me Domine & sanabor. Item: Domine sana animam meam, quia peccauit tibi. Idcirco carissimi filij festinate ad confessionis medicamentum. Aperite uulnera in confessione, ut medicamenta salutis proficere ualeant in uobis. Transiit huius uitae dies, & incerta est hora uenituro; nostrum qua reuertat puluis in puluerem & spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum, ut iudicet secundum opera sua. Auditura erit tunc anima quidquid hic copulata carne gessit in occulto. Si nunc erubescit confiteri peccata sua, & per penitentiam emundari, stabit accusator malignus contra eam, quod quodam suggestit illi ut peccaret, si nos neglexerim, peruenire faciem iudicis in confessionibus. Quae cumque enim humiliter confitemur in nostris peccatis, nihil horum diabolus habet potestatem nobis obicere in illo tremendo iudicio nostrae uitae. Agite nunc iuuenes, adulescentes & pueri, liberate uosmetipsos de Diabolica seruitute. Concurrite per penitentiam ad clementissimam omnipotentis Dei pietatem. Nolite per desideria carnis uestrae perdere gaudia caelestia, & aeterni regni inter Angelicos ceteros beatitudinem, sed confortate uosmetipsos, & uiriliter pugnate cum aduersario uestro, ut fideliter mereamini

Luc. 15;

Matth. 9.13;

1. Ioan. 1. 8;

Iacob. 5. 16;

Iere. 17. 14

Psal. 40. 5;

N. J. S. J. J.  
2. 1. 1. 1.  
IV  
27



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



coronari cum sanctis DEI, & perpetuam cum illis possidere gloriam.  
 Et vos sanctissimi huius familiae magistri & patres, docete filios ve-  
 stros pie, sobrie, & castè viuere, coram Deo in omni humilitate, obedi-  
 entia, & sanctitate, & puram facere sacerdotibus Christi confessionem  
 peccatorum suorum & poenitentiae lacrymis abluere fordes luxuriae  
 carnis, nec eas iterum repetere, quia posteriora vulnera peiora sunt  
 prioribus: scientes vosmetipsos salutis filiorum vestrorum aeternam  
 habere apud Dominum remunerationem, quatenus quorum  
 ministeriis utimini in terris, eorum prosperitatis mer-  
 cedem habeatis perpetuam in  
 caelis.

*Finis Epistolae Alcuini.*

